

- a) *Nicolaus Arnu*, Lotharingus, 1629—1692, Dominicanus, docuit Tarracae, Perpiniani, Romae, Patavii.
- b) *Nicolaus Gennaro*, Messanensis, natus 1654, Dominicanus, docuit Messanae.
- c) *Joannes Syri*, Ovadanus prope Genuam, Dominicanus.
- d) *Sylvester Maurus*, Spoletanus, 1619 — 1687, Jesuita, docuit Romae, exactae et solidae doctrinae vir.
- e) *Joannes Raphael Vico*, Neapolitanus, 1669 — 1744; contra Cartesium demonstrat veritatem esse generis humani traditam hereditatem communem, non denuo fundandam sed ex historia et sermone humano accipiendam. Atque ita principium statuit ex quo traditionalismus sequenti saeculo evolutus fuit.
- f) *Hyacinthus Sigismundus Gerdil*, Samoentinus Sabaudiae, 1718—1802, Barnabita, docuit philosophiam Maceratae et Casalae, deinde praceptor principis Sabaudiae, tandem Cardinalis; vir praeclarae eruditionis, scholasticus sui temporis praestantissimus, multiplici operum genere simul, et virtutibus clarus. Recentiora systemata refutat; Malebranchii doctrinam satis amice tractat mitigatque.
- 2º In Hispania semper tenacior fuit scholasticae fidelitas. Hoc saeculo magnae quidem notae nulli fuere eminentes doctores sicut superioribus; notabiles aliqui sunt :
- a) *Laurentius Hervas et Panduro*, 1735—1809, Societatis Jesu; docuit philosophiam Matriti; dein missus in Americam; inde cum Sociis expulsus vixit in Italia exul; vir magnae eruditionis magnarumque virtutum.
- b) *Andreas Piquer*, medicus et philosophus, apud Hispanos popularem vulgatamque fecit philosophiam, patro idiomate suos libros conscribens. Ejus philosophia in multis fere philosophia scholastica est, praeterquam quod homini sui compoti ideam et notionem innatam et connaturalem divinitatis adesse docet, theoriam materiae et formae in rebus physicis rejicit, et animae facultates aliter enumerat explicatque.
- c) *Ferdinandus Ceballos*, ordinis Sⁱ Hieronymi, recentiorum philosophorum impia et absurdia dogmata solide convellit.
- 3º In Gallia rariores in dies fiunt veri scholastici. Fere sufficiat nominasse aliquos.
- a) *Claudius Frassen*, Perronensis, 1620—1711, Franciscanus, vir egregiae virtutis, docuit Parisiis. Doctrinam Scotistarum voce et scripto praeclare exposuit et expolivit.
- b) *Franciscus Noël*, † 1729, Jesuita, Suaresium sequitur fideliter, et in compendium redigit.
- c) *Paulus Gabriel Antoine*, Lunaevillensis, 1679—1743, Societatis Jesu, docuit Mussiponti.
- 4º In Belgio nonnulli notatu digni scholastici.
- a) *Jacobus Platel*, † 1681, Jesuita, docuit philosophiam, deinde theologiam, Duaci.

b) *Patres Augustiniani* egregie hoc saeculo laboribus suis philosophicis et theologicis splenderunt, alii Aegidio Colonna, alii Gregorio Ariminensi praecipue adhaerentes.

c) *Carolus Renatus Billuart*, Revinensis, 1685—1757, Dominicanus, Thomistarum sui aevi facile antesignanus et princeps; notissimus opere suo «summa Sⁱ Thomae.»

d) *Petrus Dens*, Antwerpiensis, 1690—1775, praeses seminarii Mechliniensis, dein archipresbyter...

5º In Germania scholasticam traditionem retinuerunt praecipue : schola thomistica Benedictinorum Salisburgensium; — scholae Jesuitarum Wirzburgensium et Ingolstadiensium; — scotistae Franciscani. — Ibi claruerunt non pauci doctores.

APPENDIX.

Saeculo igitur exeunte XVIII, interrupta fere ubique traditione christiana, in contemptum et neglectum delapsa doctrina scholastica, triumphante recentioris philosophiae multiplici variorum systematum discordia, omnibus in irrationem scepticorum vel destructionem rationalistarum ruentibus, eo deuentum est ut non solum theoretice et in libris, sed practice et publice in agendi modo, ultimae conclusiones deducerentur. Nimur turbata et eversa fuerunt cuncta, tum in ordine scientifico, tum in ordine sociali et morali, eoque perducta sunt quo apud excutas gentes impossibile videri debebat ut perducerentur. Vocatur illa «Gallica Revolutio.» — Ejus causae praeter philosophicos errores sparsos fuerunt : religionis catholicae imminentio; Jansenianorum, Gallicanorum, Josephistarum perfidia; atque imprimis societatum secretarum, initio istius saeculi ortarum, et mox Judaeis invadentibus opere et foedere junctarum, occultae machinationes, quibus divinam et humanam auctoritatem omnem suffodere atque dejicere sunt aggressae.

SECTIO 3.

DE PHILOSOPHIAE REFORMATIONE AB EXEUNTE SAECULO XVIII.

Saeculo XIX, philosophiae directiones duas magnas discernere oportet. Posteaquam enim praecedentes modernae doctrinae in incredibiles excessus et abyssos «Revolutionis» deturbatae fuerant, atque externa aliqua sub Napoleone ordinis restauratio, apparenisque etiam studiorum ac philosophiae reformatio fuerat adducta, et Ecclesiae restituta aliqua libertas; factum est ut recentiora systemata evolverentur quidem passim, non tamen sine intimis mutationibus renovarentur; simul apud catholicos quoque novus ardor ad

studia, novaque superiorum traditionum recordatio resuscitaretur. Sint igitur :

- Articulus 1. Philosophiae modernae reformatio.
- Articulus 2. Philosophiae christiana restauratio.

ARTICULUS 1.

Philosophiae modernae reformatio.

Apparens tantum atque mere externa ideo fuit pacis restauratio post Napoleonem, quia non in veris christianisque principiis omnia firmata fuerunt, sed in falsis et labilibus recentiorum placitis fundata. Hinc etiam ipsa illa placita et systemata non correctionem sed evolutionem novam acceperunt, quae nunc exponenda nobis est; ea vero duplum in viam abivit; sint ergo

- § 1. Idealismus Germanorum.
- § 2. Empirismus sensualis Gallorum et Anglorum.

§ 1. IDEALISMUS GERMANORUM.

Apud Germanos jam declinante saeculo XVIII paulatim oriebatur immutatio philosophiae recentis; quae tamen ante generalem Revolutionis cladem parum nota, post illam mundum fere invasit, atque hodie etiam late serpens, tamquam verae philosophiae tunc tandem oriundae initium habet. Eam dividamus exponendam, et sit :

- I. Cristicismus Kantianus.
- II. Pantheismus transcendentalium.
- III. Reactionis tentamina contra idealismum.
- IV. Pessimismus, Nihilismus, Buddhismus.
- V. Germanicae philosophiae propagatio extra Germaniam.

I. Cristicismus Kantianus.

1º *Immanuel Kant*, Regiomontanus, 1724—1804; docuit in patria sua. Is per complures annos philosophiae Wolffianae adhaesit. At, postquam opera Davidis Hume et J. J. Rousseau legit, dubium concepit de omnibus rebus, anceps aliquandiu haesit, ac tandem 1781, suam reformatam philosophiam criticam edidit, ac deinceps perfecit. Quid philosophiae ante Cartesium, Locke, Leibnitz, exsisterit, quid Ecclesia catholica ejusque doctores scholastici fuerint et docuerint, id videtur prorsus ignoravisse. — Tota ejus reformata philosophia continetur in critica facultatum nostrarum, qua earum valorem objectivum discutit. Breviter majora et praecipua ejus opera expounda sunt.

A. *Critica rationis purae* (cfr. Logic. prop. 48, 49, 50). Posita quaestione

de valore facultatum, orditur divisione judiciorum nostrorum quorum sola «synthetica a priori» sint scientifici valoris. Horum porro origo est partim ab experientia sensibilitatis, quae materiam, phaenomena, exhibit; partim ab ipso intellectu, qui formam, categorias subjectivas, praebat. — Ipsa phaenomena oriuntur partim ab objecto, quod materiam, entis ignoti influxum, afferit; partim ab ipsa sensibilitate, quae formam, subjectivas formas duas (transcendentales, i. e. ineluctabiles), *tempus* et *spatum*, innatas sibi essentiales habet. — Categoriae intellectus sunt duodecim, correspondentes judiciorum syntheticorum a priori partitioni; ea enim sunt a) quoad *quantitatem*: singulare, vel particulare, vel universale; b) quoad *qualitatem*: affirmans, vel negans, vel indefinitum (i. e. quo negatio non copulam sed vel praedicatum vel subjectum afficit); c) quoad *relationem*: categoricum (absolute praedicans), vel hypotheticum (conditionate praedicans), vel disjunctivum (ambiguum praedicans); d) quoad *modalitatem*: problematicum (de possibili praedicans), vel assertorium (de facto praedicans), vel necessarium (de necessitate praedicans). — Rationis item tres sunt formae innatae, variis ratiociniis respondentes; omne enim ratiocinium est : vel *categoricum*, nitens in categoria substantialitatis et inherentiae, quaerens subjectum cui varia praedicata inherereant, quod ipsum in nullo alio inherereat : substantiam; eritque haec idea innata *psychologica*, subjecti, — vel est *hypotheticum* ratiocinium, nitens in categoria causalitatis et dependentiae, quaerens ordinem subordinationum et dependentiarum inter varia subjecta; eritque haec idea innata *cosmologica*, mundi; — vel est ratiocinium *disjunctivum*, nitens in categoria communicationis seu mutuae dependentiae, quaerens absolutam unitatem ultimo independentem omnium rerum; eritque haec idea innata *theologicum*, Dei. — Porro cum omnes illae formae sint mere subjectivae, nullum objectivum valorem habent. Ergo sola phaenomena cognoscimus, entia in se qualia sint nescimus, noumena nostra subjectiva quid objective sint nescimus; item de substantia, de propria nostra anima, de mundo, de Deo, an sint et quid sint, prorsus ignoramus. Ex ideis seu formis illis rationi innatis oriuntur antinomiae plures, i. e. theses et antitheses, contradictoria judicia naturaliter aeque certa et aeque demonstrabilia.

B. *Critica rationis practicae*. Sicut in judiciis syntheticis a priori elementum unum materiale alterum formale est, ita et in judiciis practicis : materiale est «*bonum*» quod appetitum nostrum afficit, sed empiricum et mobile est; formale est «*debere*», quod a ratione praebetur et est a priori, subjectivum, et necessarium omni judicio pratico. Lex igitur ex eo lex est quod universalis est omnibus imperans; sed id ab elemento formali, non a materiali oritur. — Ergo *lex moralis* ab omni elemento materiali abstrahat, solum formale retineat necesse est, quod omnibus imponatur; ac proinde summum legis naturalis principium illud est : «sic ag ut lex quam tibi praestituis valere possit pro generali norma operandi, possisque istud rationabiliter expetere.» Ut ergo moraliter honesta sit actio, debet ea sine ullo respectu

ad bonum quocumque, objectum materiale, sed unice ex lege morali, solo elemento formalis, procedere. — Ex his sequitur : *a) hominem esse autonomum, ex sola sua ratione sibi leges morales imponentem; — b) legem hanc rationis debere imperativam esse, quem hominis sensibilitas rationi resisteret nisi imperio cogeretur; — c) debere istud imperativum non hypotheticum sed categoricum esse, quod actum imperet non ut medium ad bonum vel finem obtinendum vel beatitudinem, sed unice actum moralem propter seipsum.* — Verum hoc principium supponit necessario tria principia theoretica tanquam postulata sine quibus concipi non possit : *a) existentiam libertatis, qua independenter ab omni externo influxu, homo sibi legis obligationem imponat, b) immortalitatem animae, qua perpetuo ascensu ad culmen illud perfectionis tendat, c) existentiam Dei, qui beatitudinem cum honestate connectat.* — Atque ita, quae ratio pura theoretica ignorabat, ratio practica docet esse admittenda, sic tamen ut etiam postea nihil ultius quoad eorum objectivitatem et naturam indagare vel concludere possit ratio pura!

C. Metaphysica principia juris. Lex juridica cum lege morali in eo convenit, quod utraque ex ratione practica oritur, et utraque elemento formalis solo regi debet; sed ab eadem in eo differt, quod moralis internas operationes ordinat, juridica vero de internis dispositionibus nihil curat, sed solas externas operationes ita disponit, ut externus usus libertatis cum libertate aliorum sit conciliabilis. Hinc obligatio moralis et obligatio juris omnino a se mutuo differentes, independentes, imo separatae sunt; estque supremum juris principium : « Externe ita age ut usus tui liberi arbitrii cum libertate omnium secundum unam legem conciliari possit. » Hinc etiam obligatio moralis non cogit externe, juridica vero cogit, requiritque potestatem cogentem, quae nonnisi status civilis est. Huic civili statui sociali juridice, non historice, praesupponit status naturalis sine juribus; ex quo in statum socialem transire, primum officium juridicum hominum est; id autem fit per contractum quo omnes suam libertatem individualem abdicant, in commune conferunt, iterumque a communitate recipiunt. Unde et suprema potestas essentialiter multitudinis est.

D. Critica judicii seu facultatis judicandi. Haec est facultas particulare sub universalis cogitandi; et aut a dato universalis ad particulare descendit, vocaturque *determinans*, aut a dato particulari ad universale ascendit, vocaturque *reflectens*; et est intermedia inter rationem puram, quae omnia naturalia ac necessaria attingit, et rationem practicam, quae contingentia ac libera attingit. Ut ergo a contingentibus, liberis, particularibus, ad necessaria, naturalia, universalia, adscendat, indiget ratio aliquo principio directivo; et haec erit *idea finalitatis*, quae ad unitatem universalitatis dicit, et pontem jicit quo mundus necessarius a ratione pura cogitatus, cum mundo libero a ratione practica excoigitato uniatur. — Sed et haec idea finalitatis elementum duplex complectitur : alteram finalitatem subjectivam, formalem, qua utens facultas vocabitur *aesthetica*; alteram finalitatem objectivam, materialem, qua

utens facultas vocabitur *teleologica*. — Aestheticae objectum est *pulchrum*, i. e. id quod per suam cum humana cognitione conformem formam, excitat complacentiam universalem, necessariam, sine proprii commodi respectu ullo; et *sublime*, i. e. magnum, quod ideam infiniti excitat, et oppositione sui cum nostri commodi quaestu immediate placet. — Teleologicae objectum sunt res naturales secundum earum *finalitatem objectivam* spectatae, sine respectu ad nostram cognitionem; quae finalitas objectiva, est vel *externa*, utilitas unius rei ad alteram; vel *interna*, qua unius rei singulae partes sunt simul media ad fines, et ipsi fines. Haec finalitas interna nonnisi in rebus organicis invenitur; unde illas res praecipue considerat facultas judicandi teleologica.

E. De Religione intra limites rationis purae. Religio est ipsa moralis relate ad Deum tamquam legislatorem; i. e. in quantum nobis leges moralitatis cogitamus tamquam a Deo latas, et sanctioni connexas, atque ut tales observare conamur. Religio igitur nonnisi complementum moralis est, nempe postulatum praesupponendum, sicut rationi practicae praesupponenda erant immortalitas animae et existentia Dei; neque alium habet valorem objectivum. — Exinde aggreditur Kant christiana dogmata ita explicare, ut mere mysticas personificationes concedat ea esse idearum moralium subjectivarum : primum peccatum parentum, originem mali, regenerationem justificati, incarnationem filii Dei, redemptoris satisfactionem. — Ergo officium hominis est, filio Dei, i. e. typō idealī perfectionis, similem fieri magis ac magis. Ad hoc autem, propter innatam proclivitatem ad malum, et impedimenta ab aliis hominibus, opus est ex statu naturali, luctae boni et mali in singulis, transire in statum societatis legibus religiosis regendae, quae Ecclesia est. Ecclesiam non multitudo sed Deus regere debet; eaque est praeparatio, medium necessarium praeivium ad veram puram moralitatem rationis practicae; ergo qui finem, puram moralitatem adeptus erit, is, sive individuus homo sive populus, debebit omnem Ecclesiam et religionem utpote jam inutilem abjecere.

2º Haec igitur Kantii nova doctrina, in se obscura et omni naturali rationi contraria, sed solemni ac fucoso stylo conscripta, frigidae rationis et scientifici apparatus speciem praebens, superbi contemptus plenam adversariorum neglectionem, propriae sententiae admirationem pree se ferens; initio fuit a paucis intellecta et animadversa, mox a variis varie accepta. Eam summis laudibus celebraverunt, propriisque laboribus commentati, interpretati, explicare conati sunt multi; adeoque mox omnes Germaniae Academias invasit Kantianismus.

3º Adversarios habuit Kantianismus, praeter catholicos, quorum primus et aliquamdiu fere solus exstitit publice consurgens *Benedictus Stattler*, † 1797, olim Jesuita; etiam nonnullos inter recentioris philosophiae cultores. Praecipui fuerunt : *a) Joannes Gottifredus Herder*, de quo jam supra. — *b) Fridericus Henricus Jacobi*, Dusseldorfensis, 1743—1819, dives mercator, postea philosophiae et litteris vacans; pantheismo Spinoziano multum indul-

get, in scepticismum tandem pervenit; ex quo ut sese liberet, non Kantianas formas admittere vult, sed ultimum aliquod veri criterium, sensum subjectivum complacentiae erga verum et bonum.

II. Pantheismus transcendentalium.

Kantiana philosophia, qualis ab ipso patriarcha Regiomontano efformata fuerat, diu stare non potuit, quin logicis necessitatibus cedens ad ulteriora evolveretur. Ex illo enim universalis subjectivismo atque absoluto idealismo, quem implice saltem continebat, mox deducta est passim ad absolutam omnium identitatem et pantheismum, quem transcendentalem vocaverunt ex eo quod, experientiam nihil facientes, solis ratiociniis quae omnem experientiam transcenderent procedentes, systemata sua exstribabant. Horum praecipui fuerunt :

1º *Joannes Theophilus Fichte*, Rammenviensis in Lusatia, 1762—1814; Kantii amicus et discipulus, philosophiam docuit Jenae et Berolini. Kantii philosophiae evolutionem fecit; eo maxime quod «ens in se» sub noumenis et phaenomenis a magistro admissum tanquam objectivum, logica deductione negavit aliud esse quam merum subjectivum figmentum; pervenitque ad absolutam identitatem omnium, quae nihil aliud sint, nisi unum idemque subjectum cogitans, seque ipsum sibi cogitando opponens tanquam aliquod distinctum et multiforme objectum ideale. — Multa de his scripsit, suoque tempore magnam apud Germanos famam nactus est.

2º *Fridericus Guillelmus Joseph Schelling*, Leonbergensis in Suevia, 1775—1854; studuit Tubingae et Lipsiae, docuit Jenae, Fichtii collega, deinde Wirceburgi, et Monachii. Is systema completum et unum nunquam habuit, sed paulatim evolvit et mutavit Fichtii sententias in doctrinam unitatis absolute omnium contradictiorum et oppositorum, ac pantheismum idealem objectivum. — Tria stadia evolutionis in ejus vita et philosophia distinguunt Germani : a) stadium pantheismi idealis quem ex Fichtii doctrinis ita promovit, ut a subjectivismo hujus nimio ad naturae mundanae studium magis conversus, objectivismum potius idealem unitatemque pantheisticam efformaret (cfr. *Cosmol.*); — b) stadium syncretismi suarum doctrinarum cum variis Plotini aliorumque Neoplatonicorum, Giordani Brunonis et Spinozae placitis; — c) stadium mysticae theosophiae. — Apparenti aliqua facilitate, ac styli amoenitate et imaginibus, multum prae Fichte et ipso Kantio, vulgo placuit, multosque apud Germanos asseclas obtinuit. At diuturnus non potuit existere ille triumphus, doctrinae scilicet tam gravibus absurditatibus plena.

3º *Georgius Guillelmus Fridericus Hegel*, Stuttgardiensis, 1770—1831; studuit Tubingae, docuit Jenae, Bambergae, Berolini. Fichtii et Schellingii amicus et discipulus, eorum sententiam ita expolivit ut omnem objectivitatem, tum naturam mundanam, tum historiam humanam, tum artium, scientiarum, religionum successionem et evolutionem, ad merum idealem logicum

processum deductionum reduceret, atque Pantheismi idealis extremos limites attingeret. — Is quoque multos apud Germanos discipulos et admiratores habuit, fuit tamen mox cum suis absurditatibus derelictus.

4º *Fridericus Schleiermacher*, Breslaviensis, 1768—1834; pastor protestanicus Berolini; spinozianum pantheismum excoluit; religionem putat a philosophicis doctrinis plane sejunctam, ex pietatis sensu ortam, sicut et ipsam persuasionem Dei personalis, et Redemptoris, et vitae aeternae. Christianam vero religionem exhibit tanquam merum mentis subjectivum figmentum, et rationis lusum sine veritate nec valore serio. Quibus suis doctrinis multum dissolventem influxum exercuit in protestantium, quin imo nonnullum in catholicorum Germaniae theologiam.

5º *Carolus Krause*, Ferromontanus, 1781—1832, docuit Dresdae et Göttingae. Is placita praecedentium suo modo evolvens, docuit non pantheismum sed panenteismum idealem esse verum; nempe non quidem omnia esse cum Deo convertibiliter identica, sed volens simul theistarum divinam humanaque personalitatem conciliare cum pantheistarum identitate universalis, automat omnes res mundanas esse quidem unum essentialiter in divina essentia identicum, sed Deum esse praeter ea omnia ens unum omnibus superius; contradictionibus scatens systema et omni positivae religioni inimicum.

III. Reactionis tentamina contra idealismum.

1º *Joannes Fridericus Herbart*, Oldenburgensis, 1776—1841; Wolfii, deinde Kantii, postea Fichtii discipulus, mox idealismum omnia in Germania invadentem deseruit; docuit tandem Regiomonte, et Göttingae. Construit sibi sistema ex Eleaticis, Platonicis, Leibnitzianis placitis, realismum nempe cui sola experientia tanquam philosophiae fundamentum valet. — Kantii prima principia et judicia a priori admittit, ac proinde omnia quae novimus, esse mera phaenomena, sed addit phaenomena sine entitate objectiva esse non posse; proindeque totam philosophiam ad solam conceptum nostrorum analyticam scientiam et evolutionem reducendam esse. Hinc *logica* quaerit conceptum claritatem; *metaphysica* quaerit istorum conceptuum contradictiones perspicere, atque in conciliationem adducere per ipsorum conceptum completiorem evolutionem (hujus subdivisiones sunt *ontologia*, *synechologia*, seu de relationibus, et *psychologia*); *aesthetica* (cujus una pars est *ethica*) quaerit conceptus ita complere ut aestimationem rectam pariant, et sistema rerum unum totum placens perficiant. — In *logica* Kantium sequitur quoad essentialia; — in *metaphysica* primum statuit, omne reale esse simplex immutabile aeternum; unde contradictiones animadvertisit in conceptibus extensionis, inhaesisionis, causalitatis; — animam humanam ad aliquem mechanismum reducit; eam dicit nullas proprietates diversas vel potentias habere, sed solam sui conservationem, conscientiam sui et cognitionem aliarum rerum; eamque solum extrinsece cum corpore uniri; libertatem a coac-

tionem quidem affirmat, sed libertatem quae sit verae indifferentiae negat. — Conceptu Dei nihil aliud exhibetur quam ideale exemplar secundum quod aestheticos et ethicos conceptus ordinem; reduciturque tota ethica ad studium pulchri moralis, et conscientia moralis ad judicium aestheticum circa tale pulchrum.

2º *Adolphus Trendelenburg*, Eutinensis, 1802—1873; docuit Berolini. Ad Aristotelis principia redire conatur, sed incomplete. Principia philosophandi sunt: motus, materia, finalitas. Ex motu ad mathematicas categorias, ex materia ad physicas, ex finalitate ad organicas et ethicas deducimur. — Principium contradictionis non est absolutum principium. — Absolutum, i. e. infinitum, ex omnibus mundanis rebus indicatur quidem, non tamen probari neque cognosci potest, etiam si totum mundum adaequata scientia cognoscere remus; et «nesciendo Deus scitur!»

3º *Hermannus Lotze*, Bautzianus, 1817—1881; docuit Lipsiae et Göttingae. Is simul idealismo et materialismo se opponens, sua fere ex Leibnitz et Herbart desumit et paulo evolvit. Mundum mechanice atomis et monadibus explicat; principium vitale rejicit, solam animam humanam individuam admittit, propter conscientiam explicandam. Totius mundi principium unum infinitum admittit, quod tamen ita exponit ut idealisticum pantheismum vitare vix videri possit.

4º *Gustavus Fechner*, Moscoviensis, 1801—1887, docuit Lipsiae; ad Spinozae pantheismum rediens, physicam recentium dynamistarum simul conciliare conatur. Mundus nihil aliud est nisi phaenomenales manifestationes Dei, qui ipse nihil aliud est quam anima mundi. Illarum manifestationum leges constantes analytice evolvere, munus physicae scientiae est; qua ultimatum ad atomos deducimur. Atomi vero non sunt monades, sed tantum elementaria phaenomena, i. e. virium centra.

IV. Pessimismus, Nihilismus, Buddhismus.

1º *Arthur Schopenhauer*, Dantzianus, 1788—1860; magistros habuit Schultze, Fichte, Goethe, aliquamdiu docuit Berolini, mox vitam privatam egit. Is ad ipsum Kant, rejectis posteriorum evolutionibus, redire sategit; principia omnium admittit esse spatium et tempus et categorias Kantianas duodecim (quas inter fundamentalis et prima sit: causalitas). His principiis mere subjectivum et phaenomenalem valorem subesse admittit; non tamen concludit cum Kantio, objectivam realitatem quae sit a nostra cognitione independens esse prorsus incognitam; sed eam ex voluntate, nobis interne cognita, agnosci concludit. Voluntatem autem vocat tendentiam qualemcumque: sicut enim in homine corpus est objectiva actio voluntatis, ita in ceteris, objectiva essentia est tendentiae naturalis actus. Voluntas haec, seu tendentia, phaenomenaliter multiplex, essentialiter una est mundi universi. — Voluntas perpetuo impeditur, ergo tota rerum essentia est perpetuo dolorem pati, ac proinde

mundus qui nunc est, omnium possibilium mundorum pessimus est. Lenitur quidem aliquantulum cruciatus fruitione pulchri, plene tamen leniri nequit nisi compassione et ascensi, qua perveniatur ad extinctionem voluntatis, i. e. omnis tendentiae et essentiae, et ad annihilationem perfectam, ad Nirvana Indorum.

2º *Eduardus Hartmann*, Berolinensis, 1842—1886; prius miles, dein musicus et philosophus, omnis philosophiae traditionis contemptor, propriarum lucubrationum admirator; sistema Schopenhauer renovat materialistumque omnibus placitis innectit, abstrusissimas difficilesque quaestiones joco verborumque lusu solvit. — Systema suum vocat «philosophiam inconscii.» Inconscium nempe est neque ens, neque cognoscens, neque omnino aliquid, sed est potentialitas mera, vis representandi et volendi (tendendi). — Hoc se manifestat primo in elementaribus atomis, et se evolvit in entia superiora, donec ad sui conscientiam in homine perveniat; verum tunc animadvertisit mundum esse pessimum, seseque in malam viam tetendisse se evolvendo, atque jam concludit unicam viam ad beatitudinem esse, ut prius ad Nirvana, ad statum primordiale inconscii redeat, ex quo postea in aliam directionem tendens evolvere se forsitan melius possit. Tales evolutiones erroneas jam indefinite multas successive percurrit, et in posterum percurret, donec unam eam inveniat quae ad vere bonum statum perducat. — Uniuntur proinde in hoc systemate sententiae omnes extremae idealismi, materialismi, transformismi, pessimismi et nihilismi. — Ut autem possimus ad Nirvana tendere, non sufficere potest singulorum destructio, sed totius mundi annihilation requiritur. Ad hanc vero triplem illusio nobis vincenda manet: terrena beatitudinis amor, futurae vitae et felicitatis spes, progressus fiducia. Ergo ad ethicam Buddhistarum deducimur; quod et ipse Hartmann fatetur, et sperat mox universale futurum.

V. Germanicae philosophiae propagatio extra Germaniam.

Non solum in ipsa Germania fere omnes scholas, omnesque libros et ipsos populares modos loquendi, in partibus acatholicis praesertim, invasit; sed et in alias nationes non parum penetravit. Sic 1) in *Russiae* universitatibus vix non omnibus aut sola Germanica philosophia praelegitur, eaque sub omnibus formis, et usque ad ultimas evolutiones perducta; aut una cum materialistico empirismo proponitur, et apud omnes laudatur. — Idem de *Scandinaviae* regnis dicendum.

2) In *Anglia* praevalent quidem variae empirismi formae (de quibus mox infra), laudatur tamen et legitur apud non adeo paucos Kant, Hegel, Schopenhauer.

3) In *Belgio* valde paucis placuit Germanismus; attamen panentheismum Krausii Bruxellis docuere diu *Henricus Ahrens* et *Tiberghien*.

4) In *Gallia* vix intellectus fuit, nec nisi apud paucos laudatus; aliquem influxum habuit apud eclecticos (de quibus mox infra).